*on eſſe animatum. Fortè artificiale cor-
us mundum eſſe putat, eò quod deſiniverit
er ædificium.*

Quæſtio VI.

Quæ ſit mundi materia, & an mundus ex nihilo ſit creatus?

Cum quæritur de mundi materiâ, intelligimus per mundum omnia mundana corpora: atq; tum initio diſtinguimus inter mundum conſtituendum, cujus materia nulla erat ante creationem, & mundum jam conſtitutum, cujus materia vel partes materiales ſunt omnia corpora naturalia, tam ſimplicia ut cœlum, aſtra & elementa, quàm compoſita ſeu mixta, eaq; vel inconſtantia ut meteora, vel conſtantia ut ſunt inanimata & animata: inanimata ut mineralia, metalla &c. Animata ut plantæ & animalia, adeoq; ipſe homo.

Quoad mundum ergo conſtituendum, ſtatuimus *ejus materiam nullam eſſe, ſed* mundum ex nihilo *merè negativo factum. Nam 1. Creari eſt ex nihilo produci, & creatio eſt productio entis ex non ente negativo,*